




In orationem Ciceronis Pro Milone,

<https://hdl.handle.net/1874/421197>

ORATIO

PHILIP. MELANCH. DICTA
 AB IPSO CVM DECERNERE
 tur gradus Magisterij D. Andreæ Vuin
 clero Vratisla. & alijs quibusdam
 bonis & doctis viris. Anno
 M. D. XXXV. Die
 April. 14.

ITEM QVÆSTIO, QVARÈ
 Plato dixerit optimum esse statum
 Reip. eum, qui medius est inter
 Tyrannidem & Democrati-
 am proportione Geor-
 metrica.



ORATIO PHI

PIPERI ET ALANONI THOMAS
dicitur apud p[ro]p[ter]io cum decessione regis
1405 M[odestus] V[ictor]ius D[omi]nus A[ugustinus]
V[ictor]ius V[ictor]ius G[ra]m[mat]icus
d[omi]nus p[ro]p[ter]ius bonus & do
g[ra]m[mat]icus anno M
D. XXXVII D[omi]ni
A[ugust]us

¶ O N[ost]ro loco o[ste]ri
ie nebulae satis suae
eis, tardie uocis
esse facies bellum
lumini p[ro]p[ter]iorum
casu p[ro]p[ter] loco grecorum insularum
it, quib[us] p[ro]p[ter] illi collegas soliti
erat dicendum abnoterunt. Secundum
cum collegis negotiis jipentem mo
reum Belli, dimicari cum niederis ut
conuictissime rueret. Autem

ORATIO PHI

LIPPI MELANCHTHONIS
dicta ab ipso cum decerneret gra

dus Magisterij D. Andreæ

Vuinclero Vratisla. & alijs

quibusdam bonis & do

cis uiris. Anno M.

D. XXXV Die

Aprilis 14.



ON soleo odio,
se repugnare ami-
cis. Itaque modo
etiam facile passus
sum mihi prouin-
ciati hoc in loco dicendi manda-
ri, & si pleriq; aliij collegæ nostri
ad dicendum aptiores sunt. Sed
cum collegis nostris libenter mo-
rem gessi, quibus cum uidetis me
coniunctissime uiuere. Amo em-

k ij

ORATIO

eos ex animo, & quia me cum eis
Respub. coniunxit, & ppter ipso
rum egregiam doctrinā & in om
ni officij genere diligētiam & vir
tutem. Tum uero gratificandum
duxi his doctissimis uiris, & huic
hospiti, qui cum singulari fide &
fœlicitate literas doceat, non de
esse ei studia atq; officia nostri or
dinis debent. Nam si recte æsti
mes, amplissime de tota Repub.
merentur isti qui primam ætatem
recte erudiunt, & ad maximas ar
tes preparant. His igitur ostende
re uoluim e & honori ipsorum fa
uere, & hæc scholarum testimoni
a, seu gradus magnificere. Ete
niam cum plurimum dignitatis sit
in his optimis atq; utilissimis arti
bus, quarū propagatio et defen
sio col

sig collegio nostro commissa est,
multum etiam dignitatis in hoc
gradu esse iudicadum est, cum in
hoc ipso gradu fœdus cū Repub.
fiat, in quo hi quibus decernitur,
obligant se Reipub. ad docendas
optimas artes & utilissimas hu-
mano generi. Hoc scđdere quid
potest cogitari honestius, aut san-
ctius, modo ut hi qui aucti sunt
hochonore, magnitudinem mu-
neris sui animo metiantur, et pro
uirili tueri studeant: certe consili-
um faciendi huius sanctissimi fœ-
deris in hoc gradu est honestissi-
mum atq; humanissimum. Qua-
re digni odio sunt Cynici illi, qui
ut cæteros honestos mores, ita &
gradus grauissimo consilio insti-
tutos, qui que obligant homines

O R A T I O

ad defensionē bonarum disciplinā
narum, aspernantur.

Exposui consilium meum,
quare in hāc scenā produci me
passus sim. Solet autem hic uel de
artium dignitate, uel de studijs
uirtutis dici. Hic mos cum ualde
mīhi probetur, sumpsi & ipse ar-
gumentum ex eodem genere. Et
quoniam constat honestas disci-
plinas, leges & religiones, vincu-
la esse humanæ societatis, facile
iudicari potest maxime necessa-
riam esse ad curam omnium bo-
narum artium doctrinam. Itaq;
de hac parte non disputabo pro-
lixius. Nam id quidem persuasi-
simū esse omnibus debet, & mo-
tient idem quotidie doctorum
uoces & literæ. Dicam igitur de
una

una quadam uirtute pernecessa-
ria his qui in studijs uersantur, ui-
delicet, de amore ueritatis, seu de
odio Sophistices. Etenim nulla
uox humana satis eloqui potest,
quācum referat, hærere in ani-
mis in fixum ab inuenire etate acer-
rimū Sophistices odium. De
hoc quælo, ut me diligenter audi-
atis adolescentes, quem iam ætas
& magna rerum uarietas erudie-
runt. Nihil opus est iam dicere,
quantum Reipub. cura angatata
que exerceat animū meum. Illud
tantum dicā, ut me maiori studio
audiatis, uere hoc affirmare pos-
sum, me paterno affectu atq; amo
te complecti oēs studiosos, ac ue-
hemenster uestris periculis affici.
Itaq; quod alias sæpe monui, idē

O R A T I O

nunc quoq; quoniam in hoc
cessu doctissimorū hominum ora
tio plus habere debet autoritatis,
obtestandos uos esse duxi.

A clunge aliud præcipiam uo
bis, quā apud Sophodem Vly
ses præcipit Achillis filio adoles
cēti Neoptolemo, cum docet eū
mendacijs circumuenire et fallere
amicum: & quidem multis argu
mentis declarat, hoc artificium
usitatissimum esse in uitæ nego
cij: cumq; adolescens miratur,
qua fronte, quo ore mentiri quis
piam ausit sciens, respondet Vly
ses, nefarieis quidem, sed signifi
cans quales sint hoīm mores.

Vbicumq; spes lucri est, pude
re non decet.

Atq; utinam hæc Vlyss ea Phi
losophi;

Iosophia tantum in priuatis & le-
uibus negotijs exerceretur, sed ex-
perimur eam peruersisse in grauiſ
ſimas Regum deliberationes, in
ſcholas, corrumpere artes, & qđ
eft præcipue deplorandū, regna-
re in Ecclesijs & obruere religio-
nem. Quare ſi ſolidam doſtrinā
& utilem generi humano expeti-
tis, & hoc uelutrum curriculum
Deo placere, & prodelle alijs uul-
tis, uehementiſſ, odium Sophisti-
ces animo concipiendum eft. At
que hacin re primum quid uocē
Sophisticen, deinde quam perni-
ciosa ſit, cōſyderandum erit. Nō
enim appello Sophisticen tantū
ridiculas illas cauillationes, quæ
pueris traduntur in dialecticis ce-
ratinas, & crocodilinas, & ſimi-

O R A T I O

Iles. Illa uobis cauenda est Sophistica, quæ mirificam sapientie speciem præsefert, & in curia, in sub sellijs, in Ecclesia dominat. Vbi alios piget inquirere ueritatem, alij explicare commode non norūt, alij p ambitionē de industria nebulas offundūt. Et interim magna autoritate inserunt animis falsas & nocituras opiniones.

Medici narrant melancholicon rum exempla, quorūm alius errore mentis putauit se factū esse gal lum gallinaceum, alius sedit in uaco theatro, somnians se uidere spectacula. His persimiles uidentur plurimi hebetiores, qui leui aliqua cauillatione decepti, amāt absurdas opiniones, & quod est miserandum, his ita blanditur error,

PHILO. MBLT

ror, ut sibi applaudant, se heatos
ducant illa insanis. Exempla sunt
in scholis & in Ecclesijs plurima.
Sed iti propter leues cauillationes
discesserunt natura & suam illam
~~& ad absurdum~~ ridicule sibi finixerunt. Lō-
gius etiā a natura discedit Epicu-
rus, qui prorsus cūvertit Phýsica,
tollit efficientes & finales caussas;
& quidem de his inuentis utriq;
sibi mirum in modum placent.
Quid nunc Anabaptistæ, quam
sunt plane στηνφωμενοι ac demen-
tati Sophistica. Sed hos hebeti-
ores omitto.

Alij quidā abundant in genijs,
q; in studijs suis non pponunt sibi
hunc finem, ut ueritatē eruāt ac
patefaciant, sed ut de oībus rebus
prodigiosa uarietate disputent.

O R A T I O

Et has præstigias summam inge-
nij laudem esse ducunt. Tales fue-
runt olim Academicis seu Pyrrho-
nij potius, qui omnia pariter in-
certa esse contendeant, & ne pro-
babilius quidem alio aliud: ac ge-
ometrica principia etiam euerte-
re conabantur, scilicet, ut acutij, ut
copiosi uiderentur. Tales sunt
apud Platonem Sophistæ Gorgi-
as, Thrasymachus, nec ipse raro
ad eundem modum ludit. Hec in-
geniorum licentia plurimum ha-
bet periculi. Ea que amant, ampli-
ficant in immensum, quæ non a-
mant, extreme abfcunt, dicunt
uicina pro ueris, miscent non co-
herentia, distrahunt ea quæ con-
iungi oportuit, perinde ac si Cen-
tauros aut Chimeras pingerent,
nihil

PHIL. MED.

nihil p̄prie, nihil diserte dicūt, lūr
dūt ironījs et alījs delicijs. Videte
qbus coloribus nūc ingeniōsi ho
mines pingant abusus Ecclesiasti
cos, quibus technis ueras senten
tias obruant. Quam multa inue
niunt σοφα φρεμακα, ut medeant
absurdis opinionibus, quoties in
eum locum uentum est ubi opor
tet seu uerfare dolos, seu certae oc
cumberere morti.

Cū hac Sophistica bellū & ταν
δον debet esse omnibus, qui & bo
ni uiri perhiberi uolunt, et studia
sua referunt ad communem utili
tatem. Plato grauissime dicit, dan
dam esse operam in dicendo, nō
ut hominum plausus captemus,
sed Deo grata dicamus. Quare to
tamente, totoq; animo in hunc

ORATIONE

scopum unum intueamur, huic
recta sit manus, oculi, cura, ut &
eruamus & quam simplicissime
ac planissime patefaciamus uerita-
tem. Hæc enim & Deo nos conde-
lat, & maxime conuenit naturæ,
et salutē affert Rebus publ. & Eccle-
sias. Nec ulla existimemus officia
Deo gratiiora esse, nihil Rebus publ.
utilius, quam hoc studium expli-
candæ ueritatis. Rectissime enim di-
ctum est illud in legib. Platonis:
ἀληθεία τὸν μὲν ἀγαθὸν θεοῖς ἡγεμόνη
τὸν δὲ αἰσχύνων. Veritas omni-
um honoris causa est diis et homi-
nibus. Quod crebro præcipit Christus
de cœlenda & tuenda ueritate,
quā sancte commendat nobis eius
studium, quā horribiles peccatas
etiam pponit his qui ueritatem vio-
lant.

Iant. Porro q[ui] amant Sophisticen
& in cæteris artib[us]. ludere consue-
uerūt, ad eundem modū ludūt in
doctrina coelesti. Iam hic remedia
q[ui]renda erant, quib[us]. premunirent
animi cōtra Sophisticen. Sed me
uetus uersiculus perterrefacit, q[ui]
negat remedium esse contra Syco-
phātæ morsum. Et ita late grassat
hæc pestis, quam uel Sycophanti-
cam, uel Sophisticā potes appella-
re, ut contagiu[m] uix usquā possis ef-
fugere. Repugnandū est tamē ar-
te aliqua. Prīmū ingens odiū So-
phistices cōcipiendum est. Dein
de uidendum in scholis, in Eccle-
sijs, in consilijs, qui nam inqui-
rant ueritatem, qui ludant qua-
dam ingenij procacitate, q[ui] defen-
dāt priuatas aliquas cupiditates.

Q.D.M.

V V

O R A T I O

Atque hic assumendū est illud Epic
charmi, in quo nerui atque artus
esse sapientia dicuntur, μέμνησθαι
stup. Non statim assentiendum est
præsertim monstrosis & irreligi-
osis opinionibus, non est præcipi-
tanda sententia. Tempus adhibe-
dum est in consilium, quod uere
est ut ille inquist sapientissimus Mo-
nitor. Deinde sit directa mens ad
inquisitionem ueritatis, adhibe-
at methodum, quae ut Plato inquis-
ignis est coelo allatus, qui præbe-
at lumen ad ueritatem cernendā.
Coherceat se quisque itra septa me-
thodi, nec temere excurrat in alie-
nos locos. Amet proprietatem
in artibus, & sibi subinde illud p-
ceptum utile Stoicorum inculcat,
οσοφός θεοφράστης, sapiens pro-
prietate

PHIL. MEL.

prie loquatur. Magnam uim &
hochabet, multum operæ collo-
care in ijs artibus quæ plurimum
habent demonstrationum. Nam
& Galenus facetur se pene in ame-
tiam Pyrrhoniorum delapsum
esse, nisi in Geometria uidisset tā-
tam esse uim demonstrationum.
Necq; hoc eo dico, quod putem
in diuinis oraculis aut ubiq; reg-
rendas esse demonstrationes. Sed
consuetudo methodi prodest stu-
diosis & format iudicia.

Postremo & Remprb: animo
intueatur, consideret duas esse pe-
stes Ecclesiæ, & Reipub: præcipu-
as, Tyrannidem & Sophisticen,
sed hanc multo nocentiorem Ty-
rannide: omnibus seculis Sophis-
tica contaminauit & dissipauit

L

O R A T I O

religiones. Et falsas opiniones
secutæ sunt factiones, dissidia,
cædes, bella, imperiorum muta-
tiones, in quibus nihil mali non
fnest. Spargit enim Diabolus mē-
dacia tāquam semina cæterarum
cladum. Quid quod animæ eti-
am dementatæ ruunt in perni-
ciem? Adici non potest, quam
facile saucientur mentes, quanta
prudentia opus sit, ne a recto cur-
su depellantur. Christus mina-
tur atrocissimas penas his, qui
paruolorum mentes lœdunt, &
inquit: Væ homini per quem
accidit scandalum. Hæc periculi
magnitudo maxime debet nos
exultitare, & curam acuere discen-
di, ut uera & utilia Ecclesiæ pro-
ponamus. Neque enim sine ma-
ximo

P H I L. M E L.

ximo studio, sine multarum rerū
atq̄ artium cognitione, sine lon-
go usū formari iudicia de magnis
rebus possunt. Ac semper nobis
ipſi subiçiamus, cum hæc peri-
cula de quibus concionatur Chri-
ſtus, tum etiam quam iucunda
bonis mentibus sit ueritas, quan-
tum uitæ præsidium sit in omni-
bus negotijs, quam digna uir-
tus bonis uiris, ueritatis amor.
Cogitemus Philosophū esse non
præstigiatorem aut Eurybatum
aliquem, sed φιλαθλοῦ. Sciamus
nostro ordini commēdatam esse
ueritatis defensionem, expendā-
mus quantum sit scelus hanc stati-
onē in quā a Rep. collocati sumus
deserere. Habent aut̄ interdum il-
lecebras false opiniones, adulant

L ij

O R A T I O

cupiditarib. nostris , ambitioni ,
superstitioni , aut alijs . Aduersus
has infidias obfirmandus est an-
mus , & illud Euripidis præce-
ptum tenendum , quod Aristote-
les proponit his qui populo con-
cionantur in ciuitatibus .

μὴ μοι τὰ κόμιτα λέγε, ἀλλὰ ὡν
τόλε δεῖ.

Ne plausibilia dicas , sed qui-
bus opus habet ciuitas .

Hæc inculcate animis optimi
adolescentes . Nam studia uestra
non tantum ad priuatas utilita-
tes uestras , sed ad totā Rempub-
ad gloriam Dei , ad Ecclesiæ salu-
tem pertinent . Quod cum cogi-
tabitis , maiore cura ad tantarum
rerum defensionem animi erunt
instru

P H I L. — M E L.

instruendi ac præparandi. Atq;
has causas in bonis ingenij, plu-
ximum ualere spero, quæ decet
profectio maxime et uoluntate

Dei, & comminationibus

divini, & periculis
pub. & ipsa re-
rum dignita-

te, moue

ri. Dixi,

Litteris

inquit virgo sicutum in
vobis, ut in me. Et dicit
virgo nisi p. q. de multis
elatus a diu. habet, ne deu. illi
sufficiat hinc, q. de multis
fieri, q. de multis fieri, q. de multis
fieri, q. de multis fieri, q. de multis

fieri, q. de multis fieri, q. de multis

QVAESTIO

QVARE PLATO DIXERIT
optimum esse statum Reip. eum
qui medius est inter Tyran
nidem & Democrati
am, proportione
Geometrica.



VM publica
cōsuetudo mi
hi necessitatē
hoc in loco di
cēdi imponat,
peto a uobis
initio orationis meæ, uiri doctissi
simi, ne me impudentia aut inge
nij fiducia has mihi partes sum
psisse existimetis. Nam cum ea sit
etas mea, ut magis aliquanto, quā
adolescētuli, iudicare possim, que
sit

EX PLATONE

fit huius amplissimi cœtus autho-
ritas, turpissimū mihi esset, si pa-
rum uererī uestra iudicia existi-
marer. Itaq; non meo cōsilio, sed
officio me ad dicendum adductū
esse statuetis. Semper em in om-
ni uita mihi nō minor laus est ui-
sa, publicis institutis ac legib. pa-
rere, quam doctrina excellere.
Quod cū arbitror uos quoq; ui-
ros optimos & grauissimos senti-
re, spero uos consilium meum p-
baturos esse, quod laudatissimæ
scholæ consuetudini obtemperā-
dum duxi. Cum aut̄ non possim
eloquētia uobis satisfacere, dabo
operam, ne cui plixitas orationis
molesta sit. Et ut nouitate tedium
aliqua ex parte leuemus, malui q-
stionem aliquam agitare, quam

QVÆSTIO PHIL. MEL.

artium encomium recitare, quod
eo in genere in hac ingenij imbe-
cillitate nihil reperire potui, qd
non esset uulgatissimum. Dispu-
tabo igit, quare Plato dixerit eū
Reipublicg, statum optimum es-
se, qui sit inter Tyrannidem &
Democratiā medius proportio-
ne geometrica. Per liberalis mihi
uila est Platonis sententia, & ad
uitam utilissima, quam si sequan-
tur hī qui presunt, haud dubie be-
atissime erunt ciuitates. Multū eti-
am Reip, conductit priuatos eam
tenere, ut suum locum, suum mu-
nus ita queantur, ne, quantum in
ipsis est, pulcherrima illa harmo-
nia geometrica proportionis per-
turbetur, Quantam autē uim ha-
beat Platonis dictū, in exemplo
facili

E X P L A T O N E

facilius conspici poterit. In Ecclesia maxime cerni potest, quā perniciosus sit uterque status, Democratia et Tyrannis. Quid enim futurum esset, si uulgo licentia concederetur dogmata, & ritus condendi aut mutandi. Tanta est uulgi stulticia, tācæci ac uarij impetus, ut infinita barbaries & omnium rerum in Ecclesia confusio futura esset. Vidimus exēpla quædam, nec alia res initio Anabaptistarū insaniam confirmauit, nisi hæc in ihs locis, ubi cōuenerunt, Democratia, in qua uulgo homines nefarij, sediciosi, cupidi sparserunt uaria dogmata, alij per ambitiōnē, alij incitati alij cupiditatibus ut prætextu religionis consequerentur potentiam, diriperent lo-

QVÆSTIO PHIL. MEL.

cupletum facultates. Nam in vulgo nō solum nulla ratio est, nihil consilij, nulla moderatio, sed etiā plurimi sunt improbi, & ut quisque pessimus, audaciss, ac furiosissimus est, ita plurimū gratia atq; autoritate in vulgo pollet. Hæc notiora sunt, quam ut longa oratione opus sit, Rursus & Tyrannis pestifera est Ecclesiæ, cum hi q; dominantur, non dant operam, ut Christi gloriam ac ueritatē redendant illustriorem, non consulunt saluti Ecclesiæ, sed suam autoritatem, suas opes defendere, aut au gere conantur, ut nūc pontifices horribili seruitute Ecclesiam opprimunt, nolunt explicari dogma ta, Christi doctrinam patefieri, sa nari errantes aut ambigentes con scienti

EX PLATONE

Scientias. Relinquitur igit ut me-
dius quidam Ecclesiæ status opti-
mus sit. Sed hæc mediocritas, nisi
Geometrica proportione con-
stet, statim degenerat uel in Oli-
garchiam, uel in uulgacentiam.
Est autem Platoni proportio illa
geometrica, cum non unus ali-
quis dominatur, sed gradus fi-
unt, & delecti optimi aedocissimi
mi quicq; plurimum autoritate
ualent. Ut si in Ecclesia præcipu-
as functiones doctissimi & optimi
qui que reheat, nec iaceant
pari seruitute oës boni oppressi,
sed gradus seruentur, indocti gu-
bernatores admittant bonorum
& doctorum consilia: non con-
fundantur gradus, sed unusquis-
que uelut stationem, suum lo-

QVESTIO PHIL. MEL.

cum tueatur atq; ornet, erudit iū
dicēt de doctrīna, indocti auscul-
tent, atq; obtemperent, nec in ali
enas functiones irrumpant con-
turbato ordine. Sicut & Paulus
grauissimē moner capite duode-
cimo ad Rom. cū præcipit ne im-
modeste de nobis sentiamus, sed
ut quisq; pro suo dono mode-
ste seruiat, suū munus ornet. Hec
est illa diuina proportio, quæ si es-
set in Ecclesia & in Rep. uere bea-
ti essemus. Hoc mediū inter Ty-
rannidem & Democratiam con-
stituendum esse sapientib. guber-
natoribus Plato dicit. Sed quan-
cum ab hac forma distet Ecclesia,
non est obscurum. Nam aut iacet
oppressa Tyrannide, aut horribi-
liter dissipatur ac laceratur a uul-
go. Nec

EX PLATONE

go. Nec falso dixit Plato, proportionem illam difficulter inueniri, ac iudicium de ea non esse hominum, sed Dei, sed tamen interdu aliquā eius partem rebus humanis contingere, & si quid boni sit in Repub. beneficio huius proportionis existere. Oprandum igitur est omnibus ut Deus aliquando hāc harmoniam in Ecclesia restituat, & nos qui in studijs uersamur, demus operā, ut munus commissum ornemus, ut ad docendū & iudicandū ueniamus bene meritati ac parati, ut dextre, prie, & sine confusione dogmata explicare possimus. Assuefaciamus nos ad modestiā, fugiamus πρεγματοσύνη, & petulantiam. Hoc modo nostri ordinis seu gradus

QVÆSTIO PHIL. MEL.

Harmonia correcta plurimū Ecclesie bona afferet. Hęc dixi ut Platonis sententiam interpretarer, quae ad illustre translata exemplū sit magis perspicua. Et prestandū nobis est, ut non solum intelligamus eruditæ dicta summorum hominum, sed etiam ut ad nostrum usum ac uitam accommodemus, & extra scholam, ex puluere in solē, & uelut in facie proferamus. Monet autem nos hæc sententia de maximis rebus, uidelicet, qui debeant esse gradus in Rebus p. et ne harmonia illa turbetur, suum cuique munus diligenter obeundū esse: & quoniam unum quoddā systema est, attempare unusquisque suam harmoniam ad aliarum uocum proportionem, hoc est, ad alio

EX PLATONE

ad aliorum utilitatem et mutuam
cōcordiam debet. Quantam hæc
uim habeant, in Ecclesiæ exemplo
facile cōspici potest. Relique sunt
multæ & graues disputationes
in hoc loco Platonis quas
omitto, & totam hanc
causam diligentius
explicandam do
etissimo ui
ro D: De
cano
commendo.

FINIS.



1859958 200-2 AED. 23.

interventus transilicem incolas
perguntur. Quidam habentur
olim monachos sed non nisi tam
multo ruris. Itaque bisigiti utrum
teatologum quod est in primis. Sed
non suspicimus. Verbi gratia.
non sunt in omnibus. Etiam
quoniam etiam in gildis non solum
religio. ob iustitiam deponitur. sed
secundum in omnibus. Etiam in fo-
rato. Secundum etiam. Goytum amos.
Bisigiti ruris. omnesque sacerdotum
et laicorum oblationes. Ceterum
debeatelle. 21 V. 13. sicut huius
et huiusmodi. qd. oblat. et alia
cetera modis. qd. qd. qd. qd. qd.
et cetera. Bisigoti. 22 V. 13. sicut
fidei. secundum etiam. cetera
modis. qd. qd. qd. qd. qd.